

No. 165. 1252. 22. Mai.

Markgraf Heinrich der Erlauchte trifft wegen des Zehntens, der Gerichtsbarkeit, Zoll- und Steuerfreiheit u. s. w. eingehende Bestimmungen zu Gunsten des Bischofs und der Domkirche, wie der Geistlichkeit und der Unterthanen des Stifts überhaupt.

Nos Henricus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio, Thuringorum lantgravius et Saxoniae comes palatinus universis Cristi fidelibus tam praesentibus quam futuris hanc paginam inspecturis salutem aeternam. Cum honorem et profectum Misnensis ecclesiae ob salutem ac remedium animae nostrae, patris et matris nostrae ac parentum nostrorum sincera fide et omni devotione promovere velimus, secundum omne posse desuper nobis datum, dilecto compatri nostro domino Conrado Misnensi episcopo suis successoribus et ecclesiae Misnensi omnia iura super decimis praedialibus marchiae Lusicensis, primum et principaliter a nostris bonis recipiendis admittimus libere ac solute, consentientes ut et alii possessores intra dictam marchiam teneantur ad idem. Volumus etiam ac liberaliter consentimus, quod de marchia Misnensi decimae secundum terrae consuetudinem persolvantur. Similiter libertates et condiciones canonicorum Misnensium, religiosorum, claustralium et totius cleri Misnensis diocesis per nos et per nostros volumus inviolabiliter observari. Nullas etiam exactiones vel petitiones faciemus aliquatenus in homines domini Misnensis episcopi et homines canonicorum Misnensium seu homines claustralium vel secularium clericorum in Misnensi diocesi constitutos nec etiam servitia requiremus. Ceterum stratam regiam et thelonia secundum consuetudinem antiquam servari statuimus episcopo et suis hominibus ac ecclesiae memoratae. Praeterea consentimus, ut sedes synodales in civitatibus, oppidis et villis tam archidiaconi quam archipresbyteri exerceant, prout consuetum fuerit atque iustum. Item si aliqui canonici clerici vel claustrales seu homines Misnensis ecclesiae aliqua emerint ad sustentationem ipsorum, quod in his ab eis nullum theloneum requiratur. Item si aliquis a domino episcopo, a suis praelatis seu per alios fuerit excommunicationis sententia innodatus et in Misnensi diocesi denuntiatus, volumus quod ille a nobis et a nostris in nostra curia evitetur, ita quod circa eum nulla communitio habeatur. Item in iurisdictione sua circa Ztolp et alibi ipsum nolumus impediri. Praeterea nolumus, quod clerici Misnensis diocesis coram nobis vel nostris iudicibus conveniantur, inpignorentur vel ad iudicia secularia pertrahantur, et si aliqua praedictorum a nobis vel a nostris non fuerint observata vel etiam praetermissa, illa nobis debent intimari, ut quae obmissa fuerint, efficaciter compleantur et quae servata non fuerint, secundum quod expedit, observentur. Ut igitur omnia praedicta circa episcopum et Misnensem ecclesiam a nobis et a nostris heredibus inviolabiliter observentur, praesentem paginam desuper conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Petivimus etiam ad confirmationem huius facti, sigilla venerabilium dominorum Magdeburgensis archiepiscopi et Nuwenburgensis et Merseburgensis episcoporum huic privilegio applicari. Datum Misnae anno domini M^o. CC^o. LII^o. XI^o. Kalen. Junii indictione X^a. Huic facto interfuerunt dominus Theodericus episcopus Nuwenburgensis, Henricus Misnensis ecclesiae praepositus frater